



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Quia quandam affinitatem habet cum SS. Trinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

alissimi, ibi est Filius dilectus in quo sibi Pater complacuit. Bernardus super missus. Pater tecum, qui Filium suum fecit tuum, Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo fecit sibi Sacramentum, Spiritus S. tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum. Theophanes in hymno de B. Virgine, Sanctuarium Sanctissimæ Trinitatis. B. Petrus Damian. Sermone de Annunt. B. Virginis. Cum fecerit DEUS omnia sua opera valde bene hoc melius fecit (scilicet Virginem), consecrans illam in ea reclinatorium, in qua sola se post tumultus Angelorum & hominum reclinet, & requiem inveniret. Quam merito itaque S. Bonav. in Spec. Virginem Sanctam dixit, Requiem totius Trinitatis.

2. Quia quandam affinitatem habet cum S. Trinitate.

Sanctus Thomas de Aquino serm. in Dominica 4. Quadragesimæ dixit: Beatus ventus Virginis propter magnam affinitatem, quam habuit cum Beatissima Trinitate, fuit enim Filia Patris, Mater Filij, Sponsa & habitaculum Spiritus Sancti & totius Trinitatis Nobile Triclinium, in quam rem venit Guericci Abbatis sensus Sermonis 2. de Assumptione ubi inducit Christum D. Matri ita loquentem; Communicasti mihi quod homo sum, & ego communicabo tibi quod Deus sum. Quæ fors. certè Angelis non contigit. B. Petrus Damian. Sermonis 1. de Nativitate. Inest Deus Virgini Mariæ identitate, quia idem cum ipsa est, & habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis non est ejusdem essentia, habitat DEUS in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius nature habet identitatem.

3. Quia imitatur Divinas perfectiones.

S. Andreas Cretenensis hom. 1. de dormit. Virg. Mulier quæ cælorum superavit naturam puritate. Virgo, ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam; miraculo Dei generationis, primæ nature proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis; adeo ut illum veluti in quadam imagine perfectissimè referat. Anonymus citatus à Novarino in umbra Virginis lib. 1. n. 187. Considerandum nobis est Mariam fuisse perfectissimam Dei imaginem, ab ipso, summâ arte ac singulari prudentia depictam. Nimirum inter cætera sicut DEUS omnium creaturarum perfectiones continet absque imperfectionibus, ita Virgo suo modo illas comprehendit, ut merito illi approprietur illud Ecclesiastæ. 2. In me omnis gratia via, & veritatis. Suscepit Baptismum & in eo quidquid perfectionis sine imperfectione, quæ alias supponitur peccati; pœnituit sed non præmissa defectu proprio, peperit, sed salva Virginitate, nupsit sed illaeso Virginitatis voto. Prophetiæ habuit donum sed etiam pleraque oculis proprijs conspexit. Divisam habuit ad tempus animam à corpore, sed sine corporis corruptione: Unde, Idior. 1: Sanctorum omnium privilegia omnia & Virgo habes in te conjuncta, nemo æqualis est tibi, nec major te, nisi DEUS. Sed magis